

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

ab ipsomet Othone I. Thietlando II. Abbati concessi An. 961. antequam Consecratio illa Divina fuerit dicto modo stabilita. Illud ergo ab Heideggero allegatum, & Anno 965. emanatum præfati Othonis Diploma, mutatis duntaxat Abbatum nominibus, juxta Cancellariæ Imperatoriæ styllum, erat ipsdem verbis conceptum ac prius, nec adeo erat, cur illius miraculi fieret tunc mentio: quanquam tota illa Professoris Tigurini argumentatio iterum solâ negativâ autoritate nitatur, contra manifestas Dialecticæ regulas, ad quas meritò remittendus videtur.

### DISSERTATIO VII.

*An ipsa circa Divinam Sacelli Einsid-  
lensis Consecrationem traditionis varie-  
tas, conjecturam falsitatis  
suppedasset?*

I. **H**eideggerus cit. S. 17. disserit in hæc verba: Denique ipsa traditionis circa Divinam illam Consecratio-

orationem varietas, conjecturam falsitatis suppeditat. Etenim si fides adungi debet narrationi Conradi, descendit ipse Christus de caelo ad Sacrum officium celebrandum: Angeli verò aurea thuribula deferébant. At Bullâ Leonis VIII. Angelorum duntaxat, non Christi meminit.

II. Ex ipsâ Bullâ Leonis VIII. aperte falsitatis redarguitur, quòd hæc Bulla Angelorum duntaxat meminerit. Nam ex hac Bullâ manifestum est, Sanctum Conradum pro Sacelli Einsidensis Divinitus peractâ Dedicatione confirmandâ, coram Papa & Imperatore, totoque sacro Archiepiscoporum, & Episcoporum Consistorio, in præsentia plurium Principum Romanorum, & Teutonicorum in medium protulisse duo argumenta: alterum privatam, ex propria visionis testimonio, cui tamen sanctus Episcopus ibidem refert, esse fidem negatam, donec vox cœlestis cunctis audientibus publicum tulit testimonium: *Frater cessa*  
*Divi-*

*Divinitus consecrata est Capella.* Ex tunc autem vi hujus cœlestis testimonij, idem Conradus in Bullâ relatus asseruit, universos rem prædictam gestam, veram, & sanctam cognoscentes, approbâsse, Ecclesiam præfatam ex illâ die cœlitus consecratam affirmantes. Ex quo proindè motivo, ceu altero argumento, eoque publicè probato, ait Bulla citata, dictum sanctum Episcopum consultuisse summi Pontificis Authoritatem, si post hanc visam, & certam veritatem liceret manum apponere. Super quo adèd publico legitimè probato testimonio cœlesti, Papa consultis Archiepiscopis, & Episcopis in Bullâ expressis, ex istorum consilio, in præsentia Imperatoris, ac Principum præfatorum, illam Consecrationem ratam esse confirmavit. Constat igitur ex ipsâ Bullâ Leonis VIII. hanc Pontificiam Confirmationem non tam niti privatæ Sancti Conradi visionis testimonio, quàm publico illius cœlestis vocis, per innumeros

ros

ros quasi testes, eosque plures in dignitate constitutos, omnique exceptione majores, ipsos etiam sanctos Episcopos, Conradum Constantiensem, & Udalricum Augustanum ter audita, & probata, argumento. Hæc autem cælestis vox attestata est, quòd Capella illa sit *Divinitus* consecrata. At quòd *Divinitus* fit, eatenus est ex Deo, ut hic non ordinario duntaxat concursu, sed modo extraordinario, tanquam Causa saltem principalis mysterium ejusmodi perficiat, licèt Angelis subinde, aliisque causis secundis simul utatur tanquam causis ministerialibus, & instrumētarijs. Ex ipsâ igitur Bullâ Leonis VIII. evincitur, quòd in hac non fiat duntaxat mentio Angelorum Divinæ Sacelli Einsidensis Consecrationi assistentium, sed ipsius etiam Dei, seu Christi, ceu Authoris, miraculum illud principaliter operantis.

III, Instat Heideggerus *cit. §. 17.* Unde more antiquo Consecratio illa venit

nit nomine Angelicæ Dedicacionis. Quæ causa est, quòd Mathæus Raderus in vitâ Conradi Consecrationem hanc cupro & calamo expressit, quasi peracta esset ab Angelò. Etenim si Christus ipse dedicavit Sacellum, cur *Angelicam Dedicacionem* nuncupant? si Angeli dedicârunt, cur Christum ex cælis venisse ad celebrandum officium tradidit Conradus?

IV. Verùm hoc argumentum leve est. Nunquid enim lex veteris Testamenti *Act. 7. v. 53.* à Sancto Protomartyre Stephano dicitur accepta in dispositione Angelorum, sive ut Tigurina versio habet, per præcepta & mandata Angelorum? Si ergo lex ista Angelica fuit, quomodo erat Divina? Et si Divina fuit, cur dicta est Mosaica? Nempe eadem ordinatio ex comparatione ad diversas causas subordinatas sortiri potest diversas denominationes. Ex dictis autem constat, cælesti Sacelli Einsidensis Consecrationi cooperatos fuisse tum

An-

Angelos tanquàm causas ministeriales, tum Christum tanquàm authorem principalem. Si ergo ex eo, quòd lex veteris Testamenti fuerit accepta in dispositione Angelorum, atque hinc adeò possit dici Angelica, nihil obest, quòd minùs ex comparatione ad authorem suum principalem vocari possit Divina: cur aliqua subesser oppositio, dum Sacelli Einsidlenfis Dedicatio, tum ex comparatione ad causas suas ministeriales, Angelica, tum ex comparatione ad Authorem suum principalem, Divina dicatur? Et hinc licèt Mathæus Raderus cupro & calamo eam expresse- rit, quasi ab Angelo esset peracta: nihilominùs idem Auctor fatetur, Sanctum Conradum luculenter fuisse testatum, quòd ab ipsomet Christo Domino peracta fuerit illa Dedicatio.

V. Quæ porrò ut clariùs eluceant, oportet, ut ex Bullâ Leonis VIII. advertas, Sanctum Conradum, dum coram Papâ & Imperatore, sacroque Antisti-

tistitum, ac Principum Romanorum,  
 & Teutonicorum Conventu Divinæ  
 Eintridensis Sacelli Consecrationis argu-  
 menta exponendo, petijt Decretum  
 ejus confirmatorium, duo allegasse, al-  
 terum erat privatæ suæ, & quorundam  
 Religiosorum visionis Testimonium.  
 Hoc autem in eo se tenebat, tum quòd  
 circa medium noctis unà cum quibusdam Fra-  
 tribus Religiosis audierit cantum dulcissimum:  
 tum quòd, ubi diligentius, quid hoc esset,  
 perscrutari voluisset, veraciter comprehende-  
 rit, talem cantum & ordinem tunc Angelos ha-  
 buisse in illius Capellæ, pro quâ ipse venerat,  
 Consecratione, qualem adhuc Episcopi solent  
 habere in Ecclesiarum Dedicacione. In quâ  
 equidem privatæ visionis narratione  
 notari debet, Sanctum Conradum non  
 asserere, quisnam illius Capellæ conse-  
 crator fuerit, sed affirmare duntaxat, ta-  
 lem à se cantum & ordinem fuisse vera-  
 citer comprehensum, qualem Episcopi  
 habere solent in Ecclesiarum Dedicacione.  
 Est autem manifestum, quòd E-  
 pisco-



piscopus non per se ipsum soleat face-  
re cantum, ordo verò in Consecratio-  
ne Ecclesiarum haberi solitus, ex po-  
tiori parte teneatur à ministris. Nequit  
ergo ex istâ narratione concludi, quòd  
Einsidensis Capellæ Consecrator pri-  
marius non fuerit Christus; maximè,  
cùm dictus Sanctus Conradus hoc ex-  
pressè asserat in *lib. De secretis secretorum*.  
Cur autem hic Antistes coram præfato  
sacro Consistorio adeò confusè proces-  
serit in narratione suæ privatæ visionis,  
causa erat, quòd non tam ista, quàm  
cœlestis ab omnibus in Ecclesiâ præ-  
sentibus ter auditæ vocis testimonium  
publicum posset sufficere pro judicia-  
li illius Consecrationis approbatione.  
Hinc ab ipsomet Bullæ contextu pa-  
tet, præcitati sacri Consistorij decisio-  
nem præcipuè fundari super illo publi-  
co cœlesti testimonio. Tantum verò  
abest, ut illa cœlestis vocis publica at-  
testatio discordaret ab historicâ per  
Sanctum Conradum in *lib. De Secret. Se-*

D

cret.

cret. traditâ narratione, quin potius istam confirmet, siquidem id, quod Divinitus factum est, oporteat in ipsum Deum seu Christum, tanquam Causam principalem reduci, possitque ad eam illa Capellæ Einsidensis, utpote juxta cœlestis vocis publicam attestationem Divinitus facta Consecratio rectè dici Divina, licet ex respectu ad causas ministeriales vocari soleat Angelica.

VI. Urget Heideggerus citatus in hunc modum: Neque satisfacit exceptio Augustini Reding, illam Dedicacionem vocari Angelicam, quod ipse etiâ Christus in sacris veniat nomine Angeli magni consilij. Quis enim Angelicum aliquid insigniri audivit, quod fecerit Christus ille magni consilij Angelus? Præterea Leonis Bullam non Christum nomine Angelorum inclusisse, evidens ex eo est, quod Angelos illos compararet cum Episcopis dedicantibus. Atqui si in Angelorum ordine continetur etiam Christus, utique solus ille cum

Epis-

Episcopo, reliqui verò cum ijs, qui Episcopo famulantur, comparari debuerunt.

VII. Verùm ista præcitati Professoris Tigurini objectio parùm premit. Etenim ex dictis constat, denominationem effectûs alicujus fieri quandoque solùm inadæquatè, ex causâ duntaxat ministeriali cum abstractione à Causâ principali. Quo modo si Sacelli Einsidlenensis Dedicatio dicatur Angelica, tã parùm ipsi detrahitur de prærogativâ denominationis à Deo seu Christo tanquàm Causâ principali petita, quàm parum Divinæ veteris Testamenti legi quoad istam denominationem derogatur, si ex respectu ad causas ministeriales vocetur tum Angelica, tum Mosaica. Quòd si verò Einsidlenensis Capellæ Consecrationis denominationem *adæquatè* fieri cupias ex universo, tam principalis, quàm ministerialium Dicationi illi cooperantium causarum genere, tunc arbitratur Augustinus Reding, non pos-

se commodius exprimi, nisi nomine  
 Dedicationis Angelicæ. Tum quia se-  
 cundum attestationem tam privatam  
 Sancti Conradi, quam publicam vocis  
 cœlestis, Causa principalis, seu author  
 primarius illius Dedicationis erat De-  
 us, sive Christus. Atqui Sanctus Chry-  
 sostomus *Hom. 16. in cap. 7. Actorum*, ex-  
 ponens apparitionem Dei factam Moyli  
 in rubo per Angelum, ait, hunc fuisse  
 Filium Dei, ceu Angelum magni consi-  
 lij. Juxta quam adeò interpretatio-  
 nem dicere licebit, Einsidlenis Divini-  
 tûs Consecrati Sacelli Dedicationem  
 fuisse Angelicam, quamvis facta sit à  
 Christo tanquam Angelo magni consi-  
 lij. *Isa. 9. cap.* Tum quia Theophyla-  
 ctus ad *Galat. 3.* in illa verba: *Ordina-  
 ta lex per Angelos in manu Mediatoris*; asse-  
 rit, legem ideo dici ordinatam per An-  
 gelos, quia legis promulgationi inter-  
 fuerunt tanquam testes personantes tu-  
 bas, dum tonitrua, & alia signa eorum  
 ministerio fiebant. Quo adeò sensu Io-  
 annes

annes Eusebius Nierenberg. Societatis Jesu in *Triumph. Mariano lib. 5. cap. 13.* dixit, Consecrationem Sacelli Einsidensis ritè vocari Angelicam, quòd cum Christo consecrante simul adhibicum fuerit Angelicum Ministerium in canendis illis, quæ à Clero cani solent in Dedicacionis officio. Tum quia Divus Chrysoftomus *in cit. ad Galat. sacrum texum* ait: per Angelos intelligi Sacerdotes, qui legem populo promulgârunt. At verò in Sacelli Einsidensis consecratione Spiritus Angelicos, narrat Sanctus Conradus *loco supè citato*, fuisse tantamquam ministros præsentés cum Domino magni consilij Angelo, nec non cum Summis Pontificibus, Beatis Petro, ac Gregorio, Sanctis Episcopis Evangelistis, ac Ecclesiæ Doctoribus Ioanne, Mathæo, Lucâ, Marco, Ambrosio & Augustino, denique Levitis Laurentio, ac Stephano, quos majori cum ratione & auctoritate, quàm veteris Testamenti Sacerdotes, vocari Angelos, constat ex

Apocalyp. cap. 2. & 3. Hæc proinde sunt argumenta ab Heideggero, nescio quam ob causam, omissa, quibus Augustinus Reding partim probat, illam Sacelli Einsidlenfis Dedicationem, licet Divina fuerit, posse non tantum ex *inadæquatâ*, sed etiam *adæquatâ suâ denominatione* dici Angelicam: partim *excipit*, nequam sequi, hoc Sacellum non à magni consilij Angelo Christo Domino, ministrantibus cœlestibus Spiritibus, ac Beatis Episcopis, alijsquæ Dei Sanctis consecratum fuisse, quamvis in Bullâ Leonis VIII. dicatur Sanctus Conradus in sacro Romanorum ac Teutonicorum Episcoporum Consistorio, & præsentia Imperatoris ac Imperatricis, suggestisse summo Pontifici, quod talem *cantum & ordinem Angeli habuerint in Capella Einsidlenfis Consecratione*, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum Dedicatione; eò vel maximè, quod incredibile sit, Divum Conradum adeò sui immemorem extitisse, ut coram Summo Pontifice, ac Imperatore,

ratore, sacroquè plurimorum è Germania & Italiâ Antistitum Consistorio, Dedicationis illius historiam aliter exposuerit, quàm pertexebat eandem in libro publicæ lucubrationato, & inscripto de *Secretis Secretorum*.

VIII, Ex quibus etiam manifestè patet, instar fumi evanescere objectiones Heideggeri. Si enim ipsemet Christus dicitur Magni consilij Angelus, cur ejus opus dici non possit Angelicum? Nequè verò Bulla Leonis Angelos ita comparat cum Episcopis Ecclesiam dedicantibus, ut illis tribuat principale Consecrationis munus, sed ministeriale duntaxat cantûs & ordinis officium, ipsammet verò Consecrationem, utpote Divinitus factam ipsimet Deo, seu Christo, tanquam principali authori addicat. Unde vanè gloriatur iste Tigurinus Doctor §. 18. concludendo, argumenta hætenus allata historiæ Dedicationis fidem concutere. Quid? sitam validum historiæ illius expugnatorem se putavit,

vit, cur argumenta non discussit, quæ Augustinus Reding in Discursu Theologico de Sacello Einsidlensi *disc. 2.* tum ex Bibliothecæ Einsidlensis pervetustis manuscriptis, tum ex septingentorum annorum perpetuis fidelium peregrinationibus, & à Deo frequentibus miraculis firmatâ traditione, vel obiter tantum deduxit? Cùm tamen librorum ejusmodi pervetustorum autoritas tanta sit, ut juxta *Cap. Cùm causam, junctâ Glosâ, de Probat. item Menochium Conf. 368. n. 3. Cassan. p. 10. Conf. 46. Quintanadven. tract. 7. sing. 14. n. 6. & sing. 15. n. 4.* aliosq; Jurisperitos, & Canonistas, ipsis sit habenda omnimoda fides, ceu plenæ probationi: maximè accedente traditione taliter vestitâ & firmatâ, quæ præsertim in mysterijs Divinis probandis, juxta communem Theologorum, ac Juristarum sententiam, habenda est pro veritate approbatâ.

DIS-